

CLASSIS II.

DE

Personis Unientibus, & Uniendis

Personæ unientes sunt Conjuges, quorum alter, vel uterque ad secundas, posterioresve transit Nuptias cum unâ vel pluribus ex priori Matrimonio prolibus. *Muller ad Struv. exerc. 3. th. 66. litt. E.*

Non interest autem, utrum hoc Pactum ante, vel post Contractum Matrimonium, neque utrum in ipso Contractu Matrimoniali an extra illum celebretur: *Stryckius de Success. ab intest. dissert. 8. cap. 6. §. 4. Muscul. l. cit. n. 61.*

nisi Statutum aliud disposuerit, ut *Francosfurtense p. 3. tit. 10.*

Personæ uniendæ sunt Liberi alterutrius, vel utriusque Conjugis neque refert, utrum privigni tantum sint, an verò & comprivigni, an primi, an secundi & ulterioris gradûs Liberi sint. *Mantica de conject. ult. vol. lib. 8. tit. 8. n. 12. 15. & 16. an nati, an nascituri. Stryck. loc. cit. §. 6.*

Et si enim alteruter Conjugum nullos habeat Liberos, tamen sufficit alterum Liberos suscepisse; hos namque cum illis, quos se suscepturos sperant, unire poterunt. *Muller. ad Struv. loco cit. litt. E. Muscul. dict. memb. 3. n. 32.*

CLASSIS III.